

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1793

**Auteur(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Notre-Dame-la-Ronde (église)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1257, 28 septembre

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** réforme

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Eudes, archevêque de Rouen, à la demande du roi Louis [IX] de France, réforme le statut de l'église Notre-Dame-la-Ronde à Rouen, le nombre des prébendes et des vicairies, les modalités de distribution des revenus, et d'autres choses relatives à cette église.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XXXVI, col. 34-35.

Texte établi d'après a

Frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesiae minister indignus, universis praesentes literas inspecturis, aeternam in Domino salutem. Licet ad petitionem excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia Francorum regis illustris, ordinationem quamdam super reformatione status ecclesiae sanctae Mariae Rotundae Rotomagensis, praebendarum ac vicarium ipsius ecclesiae numero, perceptione distributionum, et jure parochiali, ac quibusdam aliis in dicta ordinatione contentis, duxerimus faciendam ; quia tamen praedicta ordinatio nostra demum post vacationem trium praebendarum existentium in dicta ecclesia expleri debebat, nec continebatur in ea quid fieri deberet, si unam tantum vel duas praebendas interim vacare contingeret sigillatim, defuncto postmodum magistro Ricardo de Torny, quondam canonico ejusdem ecclesiae, habente praebendam, quae CVII libr. Turonens. valere per annum communiter aestimatur ; et si expectaretur aliorum canonicorum decessus, dicta ecclesia consueto servitorum numero, ac debito servitio interim fraudaretur, seu aliquam in temporalibus pateretur jacturam : cupientes hujusmodi periculo obviare, ad petitionem ejusdem domini regis, deliberatione super iis habita diligenti, de dicta praebenda vacante sic duximus ordinandum: videlicet quod de ipsius redditibus fundabuntur duae praebendae, una valoris L libr. Turonens. annui redditus, quae juxta priorem ordinationem nostram assignabitur decano instituendo in ecclesia memorata : alia valoris XL libr. Turonens. conferenda cuidam canonico, qui juxta eandem ordinationem instituetur ibidem : residuum vero assignabitur tribus vicariis in eadem ecclesia existentibus, et dividetur aequalibus portionibus inter ipsos, dum tamen summam XXI libr. annui redditus non excedat. Si quid autem residuum fuerit, ad distributiones faciendas reservabitur per decanum ; ita etiam quod quantum eisdem vicariis accrescet ex assignatione residui supradicti, tantum eis subtrahetur de proventibus oblationum, et aliorum quae de jure communi pertinent ad curatum, quod subtractum ipsi curato totaliter remanebit. De duabus autem aliis praebendis, quarum magister Johannes de Nemausio unam, et Gaufridus de Soliaco aliam obtinent in dicta ecclesia, taliter ordinamus: videlicet quod quandocunque praebenda magistri praedicti Johannis vacaverit, de ipsius

proventibus fundabitur una præbenda valoris XL libr. Turonens. annui redditus, et cuidam canonicè instituendo in eadem ecclesia conferetur ; et de residuo fundatæ præbendæ supplebitur et assignabitur vicariis ecclesiæ, si quid defuerit de summa XXI libr. Turon. supra id quod de prima præbenda mag. Richardi eis fuerit assignatum : quod autem superfuerit de præbenda mag. Johannis, totaliter cadet de distributionibus quotidianis percipiendis a decano et canonicis ac vicariis. De alia autem præbenda mag. Gaufridi, quandocumque vacaverit fundabitur una præbenda XL libr. Turonens. annui redditus ; et totum residuum committetur in distributiones prædictas. Hæc autem omnia ordinamus et statuimus de ipsius domini regis assensu, ordinatione nostra priori, quantum ad alia quæ ibidem continentur, in suo valore permanente. In cujus rei testimonium præsentès literas Parisius anno Domini M. CCLVII, in crastino beati Michaëlis.